



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quo ordine dispone[n]dus sit sermo, siue co[n]cio. Cap. XLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

quadam ciuitates ad vlciscendas iniurias magis, quàm ad luxum, quadam potiùs ad luxum, quàm ad homicidia patranda sunt procliuës; & idcirco non idem vbiquè collyrium semper est adhibendum. Non sunt recitanda conciones ex scripto, neq; eadem ad verbum, postero anno repetenda: diuersitas temporum, si studium & iudicium adhibeatur, noui aliquid subministrat. De oratione Ecclesiastica, deq; eius natura, & qua ratione orator Ecclesiasticus possit dicere; item qua ratione seipsum disponere debeat ad dicendum, iam exposuimus, vt potuimus; reliquum est, vt de ordine siue dispositione orationis, dicamus.

Quo ordine disponendus sit sermo, siue cōcio.
Cap. XLV.

ORDO est dispositio & conuenientia partium, pulchritudo rerum omnium, ac veluti anima, sine quo nihil pulchrum dici potest. Pulcherrimus dicitur mūdus, quia eius partes mirabili nexu coniunctæ; pulchrum animal homo, quoniã mirabiliter eius partes dispositæ sunt; pulchra etiam ea dicitur oratio, pulcher sermo, qui, veluti corpus, multis inter se aptè coherētibus partibus constat. quamobrèm amandus est, & quærendus in omni vita, atq; in omni actione, hic laudabilium omnium rerum pater memoria magister, ordo, Christiano præsertim oratori: qui nihil aliud sibi proponit, nisi ordinem charitatis in animis hominum imprimere. non multum enim prodesset ijs, qui in alijs omnibus ad orationem spectantibus, excellerent, si hac vna dispositionis virtute carerent. Illa distinctio, quam asserre soliti sunt quidam Rhetores,

O 4

partium

partium orationis, in proœmium, narrationem, probationem, confirmationem, confutationem, amplificationem, epilogum, non est admittenda. cùm narratio non semper sit necessaria, nisi in genere demonstratiuo: confirmatio, & confutatio probationi subiecta sit, ac in ea contineatur; & cùm is, qui comparatione vitur, aut amplificat, quodãmodò videatur probare: prætereà exordiũ & peroratio non sunt semper concionis partes necessaria, cùm admonitionis, & intelligentiæ causa adhibeantur, quod non semper necessariò faciendũ est, præsertim in re nota & facili. Duæ igitur constituendæ sunt ad minimum, orationis Ecclesiasticæ partes, ppositio, siue (vt alio verbo, idem exprimẽte, vt ar) propositũ, & probatio, hoc est, argumentum, siue cõprobatio. Quoniã tamen interdũ exorditur Ecclesiasticus orator, dicamus cuiusmodi vti possit exordijs; itã tamen; vt statuamus, sæpẽ nõ esse necessariũ exordiri, cùm res, qua de agimus, sit nota, et aduersarius nullus sit; multo magis, quia ad audiẽdum paratos se esse auditores ostendũt. Nec semper epilogo est opus, cũ probatiõibus interdũ auditores satis sint ad id, quod est propositum, incensi atq; inflammati, & nulla sit necessaria repetitio: cùm credibile sit, in auditorum animis illas sententias esse impressas. De his tamen quatuor partibus agendũ iudicamus; ac primũ de exordio.

Quid sit exordium, & quibus de causis sit institutum; item qualia debent esse exordia.

Cap. XLVI.

EXORDIUM siue proœmium in soluta oratione, idem est, quod in poësi præfatio. cùm autẽ interdũ
apud